DE ECHINOCOCCIS IN ABDOMINE HABITANTIBUS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI
MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITERARUM UNIVERSITATE
GRYPHISWALDENSI
UT SUMMI
IN MEDICINA,
CHIRURGIA, ARTE OBSTETRICIA
HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XIX. MENSIS APRILIS ANNI MDCCCLXIV
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

ERNESTUS LUEDDECKENS,
SAXO-BORUSSUS.

OPPONENTIBUS:
C. GLEITSMANN, DR. MED.
A. PREUSS, DRD. MED.
A. GUERTLER, STUD. MED.

GRYPHISWALDIAE,
TYPIS FRID. GUIL. KUNIKE, REG. ACAD. TYPOGR.

PARENTIBUS

OPTIMIS DILECTISSIMIS

HASCE PAGELLAS

PIETATIS GRATIQUE ANIMI

DOCUMENTUM ESSE VULT

FILIUS.

De Echinococcis jam ex multis annis controversia inter helminthologos fuit, aliis unam aliis duas echinococcorum species esse contendentibus. Cum autem constet, duas illas adhuc notas species et conformatione et vivendi ratione magnopere inter se distare, ii mihi recte dicere videntur, qui duas esse affirmant. Altera enim species magnam singulorum scolecum multitudinem gignit, ita ut quodque individuum primum parieti interno embryonis 6 hamulis praediti, ex quo nunc vesica mater facta est, pedunculo assideat et postea ab hoc solvatur; altera vero manifestam generationis mutationem ita praebet, ut ex internae vesicae matris pariete rotundae hamulis embryonalibus non instructae vesicae filiae sese forment, quae iterum in se singulos liberos scoleces, qui parietibus internis assident, et minimas vesicas, quae complures singulos scoleces vix acus capitis magnitudine procreant, gignunt. Ad hoc non dubium est, quin hujus speciei scoleces multo majore hamulorum numero in corona ab illo

diversi sint: quemadmodum Kuechenmeister dicit, qui illam speciem, quae pomi magnitudinem non superet, Echinococcum scoliciparientem nominat, hanc, quae illa multo major est, Echinococcum altriciparientem vocat. Inter omnes autem autores de Siebold, Creplin, Eschricht, Gescheidt, Scleissner alios, qui de echinococcis scripserunt, sine dubio Kuechenmeister et subtilissime duas illas echinococcorum species inter se disjunxit et accuratissime conformationem atque naturam eorum exposuit. Quem autorem secutus quod de illa echinococcorum specie, quae in sequenti morbi historia quam maxime accurata tanti momenti est, scripsit atque explicavit, brevissime supra attuli. Atque autoribus Haubnero et Creplino habitat ille Echinococcus altricipariens non solum in homine sed etiam in mammalibus majoribus domesticis et quidem in diversissimis et hominis et illorum animalium corporibus.

Paucae illae in litteris historiae morbi partim de casibus, quibus sectione facta echinococcorum vesicae filiae in vesica matre reperiebantur, partim de vesicis filiis per urethram, per rectum vel vomendo per ventriculum vel per pulmones ejecti scriptae sunt. Deinde etiam nonnullis in casibu aegroti punctione seu incisione facta vesicis liberat atque sanati esse dicuntur. Quae echinococcorum species, quum auctore Kuechenmeistero in quovi organo, in hepate, pulmone, rene, liene, ovariis, ossibus, mammis, aliis reperiri possit, diversi moment

prout in hoc vel illo organo echinococcus sedem habet, et perturbationes et periculum esse consentaneum est. Nec minus echinococci majores majora pericula exhibere non mirum est.

Symptomata, quae echinococcis efficiuntur, plane eadem sunt, quam quae aliis ejusdem magnitudinis tumoribus efficiuntur. Quamobrem Diagnosis tum demum certo constitui poterit si colonia echinococcorum rupta vesicae filiae abierunt. Attamen nonnullis in casibus etiam percussio atque auscultatio et hydatophtengus ille, qui dicitur (son humorique), a Piorry primum repertus ad diagnosin magni momenti esse potest.

Si Aetiologiam quaerimus, causa ex qua echinococcorum saccus ortus est, ovulum vel embryon 6 hamulis praeditum, tantum esse potest, quae aliquo modo aliquando deglutiendo in intestina individui cujusdam pervenerunt.

Quamdiu echinococci vivere possent quamquam non prorsus constat, illud tamen pro certo habendum est, multos annos eos perdurare posse. — Acephalocystes, quos dicit Laennec atque de Siebold, contendit Kuechenmeister et ipsos cestodum embrya sex hamulis ornata esse, quae crescendo non impedita steriles novos scoleces non genuerint. Rokitansky ejusmodi acephalocystarum sacci in utero reperti mentionem facit, et Hislop tres casus, in quibus parvae semipellucidae vesicae per vaginam ejectae sunt, commemorat. Klob autem quum etiam ab peritissimis Anatomicis pathologicis ejusmodi casus non allati sint, et illos

quatuor modo memoratos eumque, quem Wilton tradidit, qui cystam capsula inclusam in cavum peritonaei perforatam vidisse se dixit, recte observatos esse dubitat. Quas quidem dubitationes plane infirmas esse ex sequenti historia morbi satis apparebit. Nam etiamsi hic casus, cujus observandi Ill. Pernice occasionem mihi dedit, non prorsus iis, quos Rokitansky, Hislop, Wilton tradiderunt, respondet, tamen sine dubio inde intelligendum est, sedem ejus de quo in sequenti dicturus sum, echinococcorum sacci, eandem fere esse atque illorum ab auctoribus modo dictis observatorum.

Historia morbi.

Anamnesis:

A. L., 31. annos nata, coloni cujusdam prope Tanglim conjunx, puellam febri intermittente se laborasse profitetur. Inde ab anno sexto decimo aetatis vicesimo quarto quoqe vel quinto die menses habuit, qui per senos vel octonos dies non nimii profluere solebant; fluore albo nunquam se vexatam esse dicit. Ante undecim annos primipara novem mensium foetum enixa est mortuum, neque tamen adhibitis artis adjumentis. Causam praematuri partus nescit, puerperium legitime praeteriisse dicitur. Secundus partus ante octo annos et dimidium horas viginti quatuor duravit, quo e norma praeterlapso infans, puer satis validus, natus est. Deinde ante sex annos et tres menses per forcipem (ut ipsa dicit, propter

paralysin uteri) vivum maturum infantem edidit. Inter operationem ruptura perinaei orta esse dicitur, et in sequente puerperio, quo per duas fere hebdomades lecto affixa erat, primo posterioris vaginae parietis prolapsum sensit, qui parvi ovi gallinacei magnitudine molestias tamen ei non effecisse dicitur. Repositionem ipsa quidem initio saepius tentavit et efficere potuit, mox autem irritam eam esse deficiente ex perinaeo fulcimine intelligens omisit, neque, quam diu crescente tumore potuerit fieri repositio, compertum habet. — Duobus annis et septem hebdomadibus post illum partum forcipis opera sine certa causa ineunte octavo mense vivum infantem peperit, qui tamen post biduum mortuus est. Partus ipse celer et puerperium normale fuisse dicitur. Prolapsus prior magnitudo jam erat duplicata, neque tamen molestias attulit. Postremo duobus abhinc annis et dimidio quintum gravida per quatuor fere hebdomades hysterophoron ex Zwang-Schillingii methodo factum applicavit, quod quum non satis aptum videretur, mox deposuit. Paullo post tertio mense abortum fecit, cujus rei causa nota ei non est.

Tribus post eum abortum mensibus per tres hebdomades vehementi dysenteria laboravit, inter quam gravi inter defaecationem pressione tumor non leviter auctus esse dicitur, ita ut is jam quum eunti tum sedenti ei molestissimos dolores efficeret: unde complures excoriationes effectae sunt, quae et supra effusa urina et tritu in sedendo et eundo in dies magis augebantur.

Anni 1861 aestate per septem hebdomades abdominali morbo laborabat, quem „uteri obdurationis" nomine significat. Verius videtur peritonitidem non ita levem fuisse, cujus cum symptomatis ipsius morbi descriptio consentit, praesertim quum saepius jam leviori peritonitidi affecta fuisse videatur. Inter quem morbum quodam die forte faeces inspectans quum bullam quandam liquoris plenam, juglandis fere magnitudine, partim albam partim pellucida et gelatina specie animadvertisset eamque medico monstrasset: is rem nullius esse momenti respondit. Ab novem fere mensibus menstruatio trium vel quinque hebdomadum intervallis profusior atque pessime olens esse solebat, mulier autem eodem tempore vehementissimis abdominis doloribus vexabatur. — Inde ab anni praeteriti auctumno prolapsus adeo crevit volumen, ut mulier malo non tam doloroso quam molesto levari cupiens ad hujus urbis nosocomium obstetricium se conferret.

Igitur quum die 17. Januarii recepta esset, hunc fere statum praesentem praebuit: mulier, normali corporis specie vividum quidem exhibet colorem, neque tamen dolorem vultu dissimulat; et quum oculi lividis marginibus circumdati in intimis orbitis repositi sint, genae vivide subrubrae quasi per morbum tumidae videntur.

Pectoris organa valida. Abdominis tegumenta, quamquam plurium graviditatum prae se ferunt signa, adstricta tamen et intensa sunt; et in abdomine jam nudis oculis tumor animadvertitur, qui supra symphy-

sim inter spinas ossium ilium anteriores inferiores ex convexa parte sublatus semilunarem circumterminationem exhibet, quae tribus locis quasi vehementi cicatricosa contractione coarctata investiganti manui tumoris duri iniqui tuberosi praebet indicium. Fluctuatio non percipitur et totum tumoris spatium percussionis sonum fractum prodit. Pressus tumoris terminus et in sinistro et in dextro osse ilium dolores efficit, neque loco moveri potest. Quatenus uterus et vesica urinaria tumore affecta sint, certo perspici non potest. Aegrota, quae ex aliquot diebus menses habet (quapropter facta per vaginam exploratione digitus sanguine foedatus apparet, quamobrem ad praesens tempus ab omni operativa ratione desistendum erat) dolores non nisi circa dextram et sinistram flexuram coli conqueritur. Ante exteriora genitalia tumor est pallide russeus levis intensissimus non fluctuans hemisphaericus, qui labia majora utrimque aeque distendens speciem paene capitis infantis modo evoluti prae se fert. Ante et sinistrorsum neque minus post excoriationes thaleri magnitudine. Comprimi tumor potest pressione modica usque ad dimidium fere volumen, et accuratiore exploratione prolapsus posterioris vaginae parietis apparet. Anterior vaginae paries plicae instar inter tumorem et orificium urethrae positus est. In exploratione per vaginam tumor extrinsecus visibilis intente elasticus post vaginam in cavum ossis sacri supra pertinere cernitur, terminus tamen ejus attingi non potest. Qui quum inducto digito magna obstacula opponat,

vehementem aegrota conqueritur dolorem. Vagina lis uteri portio supra symphysin ossium pubis atting non potest, neque magis vel impleta vesica usque ad collum vesicae perveniri. Manifestum est, uterum et vesicam urinariam tumore supra pelvim sursum actam vel pulsam esse. Quo ex exploratu summum rectocele concludi debebat, sed facta per anum exploratione nullo modo existere inventum est, sed e contrario rectum non modo excavationem a parte antica non formare, sed potius per eundem tumorem intente elasticum vehementer adversus os sacrum agi. Inter anum et tumorem illum perinaei residuum unius fere pollicis latitudine exstabat.

Quarto, postquam recepta est, die quum menstrua secretio modica normalis desineret, postridie repositio tumoris tentata est, unde sine ullis aegrotae doloribus tumorem illum valde comprimi et paene in cavum ossis sacri reponi posse apparuit. Die 23. Jan. prolapsus emplastri adhaesivi taeniis involutus est, quo facto volumen ejus dimidio fere minutum est. Usque ad 29. diem Jan. ea involutio bi per diem repetita est, quum ligatura et urina made facta male haereret, et defaecationis ceteroquin normalis pressione quasi tiara detraheretur. Die 29. Jan secretio foetidissima ex vagina profluens animad versa est, quae aegrotae animum magnopere de pressit; neque tamen nisi tum demum fiebat, quum tumore illo ante genitalia retrorsus presso digitu in vaginam immitteretur: injecta est aqua tepida cui paullulum liquoris chlori admistum erat. Su

vesperum ejusdem diei vehemens febris per acrem frigoris horrorem tres fere horae quadrantes continuantem incipiens et cum multa sudoris secretione desinens, intermittentis incessui simillima; vehemens sitis. Chin. sulph. cum elix. acid. Hall.

Sequenti die circa meridiem incessus repetitio paullo minoris secuta est. Triduum inde usque ad diem 3. Febr. sine memorabilibus casibus elapsum est: status generalis bonus. Quotidie pil. e chin. sulph. (gr. viij) et deficiente defaecatione species laxantes St. Germain datae sunt. Tumor adeo jam minui poterat, ut extra genitalia parvi modo ovi gallinacei magnitudinem retineret et repositio ejus, si in cavum ossis sacri deprimebatur, sine magno labore fieri posset. Quae ut continua esset, instrumentum quoddam ad Roser-Scanzoni hysterophori exemplum est applicatum; quod quum minus bene factum intentioni non satis aptum esset post paucas horas depositum est.

Die 3. Febr. iterum gravis febris: pulsus, 160 vel 170, in arteria radiali percipi vix poterat; extremitates frigidae. Jam inter febrim ingens liquoris cujusdam prope fellei coloris vomitus. Omnia omnino septichaemiae incessus signa. Febris illa per totam noctem paucis brevibus intervallis cum magna aegrotae perturbatione durabat: vehementissima sitis. Datum est Infus. cort. chinae cum ac. Hall. Vomendi cupiditas nullo paene spatio intermisso ad diem 7. Febr. continuata quotidie identidem ad spasmaticos vomendi motus est aucta; praeter paucos cibos inductos vomita ex liquore quodam tenui, viridis

coloris, constabant: valida facilis concocta diaet praescripta.

Die 7. Febr. circa basin prolapsus loca quae dam duos fere digitos lata violaceo-purpurea sicca discoloria intus in vaginam pertinentia animadversa sunt, itemque excoriationes eschara quadam tectae. Eodem tempore aegrota vehementibus doloribus ar dentibus in tumore vexatur. Cui condicioni praete modum vexanti sequente nocte perfecta accessi ischuria conjuncta cum continua mingendi cupiditat et pressione doloribus ad partum simili. Jam igitu catheteris usus indicatus esse videbatur, per quem mane diei 9. Febr. aegre applicatum ca. $1\frac{1}{2}$ quadran tes urinae turbidae multum albumen continentes eliciebantur. Inducendo catheteri elastico duo obsta cula erant superanda, quo ad postremum factum est ut catheter apice ad rectum paene angulo inflex retraheretur. Concludendum igitur erat tumore uterum dislocatum esse, hujus autem vaginali portion collum vesicae symphysi ossium pubi admotum itaque inmittendo catheteri gravissimum obstaculum oppositum esse. Per diem etiam saepius magnis cum aegrotae doloribus catheter ut inmitteretur frustra laboratum est. Cujus applicatio die 10. Febr. ne inte chloroformii quidem narcosin effici potuit et viam falsam (fausse route) ortam esse apparebat, qua fere 1″ ab orificio urethrae exorsa fistulam urethro vaginalem $1\frac{1}{2}$″ longam efficiebat. Eschara illa deceder coepit, quod ut acceleretur, lanugo linea vino cam phorato cum myrrha pulv. imbuta illis locis imponitu

Die 10. Febr. vespera insequentique nocte cum spontaneis spasmaticis pressionibus parvae quantitates urinae effluxerunt.

Die 11. Febr. ca. meridiem rursus violentissima febris, et quum frigoris horror, qui unius horae erat, praeteriisset, magna urinae copia prodiit, cujus quartam partem albumine constare in analysi apparebat. Vehementi pressione tumor jam mirum in modum auctus erat: 48 Cm. circumferentia. Valetudo generalis mala; conqueritur magnam infirmitatem et suppurantium prolapsus locorum dolores. Praescripta est lotio sedentaria 30° Cels. quadrantis hora et decoct. cort. chin. reg. c. acid. Hall. Morph. hydrochl. gr. $\frac{1}{4}$. Vespera T. 38,6. Puls. 130. Noctu inter secundam et tertiam horam subito vehemens defaecationis studium, nondumque admoto matellione magna quantitas molis cujusdam partim glutinose pellucidae, partim lacteae carptim divulsae edita est, quae moles sequente die accuratiore exploratione b u l l a s e c h i n o c o c c o r u m se praestant. In microscopica exploratione et aliquot scolecum unci inveniebantur, et tenuis membranarum echinococcorum coacervatio manifesta erat. Faecium moles illae nullum exhibebant vestigium, et lectus ingenti copia liquoris subalbi purulenti madefactus erat.

Die 12. Febr. mane T. 40,1; P. 130. Aegrota noctu complures horas dormiverat, neque tamen non interdum deliraverat; jam autem se quasi gravi onere molestissimo levatam esse sentiebat et plus appetitus probabat. Tenesmus ille desierat, et urina

ter repetita est. Tinct. Opii simpl. gtt. xij. Vesper T. 39,6. P. 120.

Die 14. Febr. T. 38,0. P. 115. Noctu bis volun taria diarrhoica defaecatione facta paucae mole albae gelatinae secretae sunt. Contra aegrota con tinuo sponte urinam emisit. Mane hora 9 larg copia albi liquoris duodecim fere bullis mixta se creta est. Post meridiem multi flatus. — Vesper margo tumoris in abdomine quatuor fere digito supra symphysin eminet, et per vesperam defaecati diarrhoica molis subfuscae facta est. Nec valetud nec ea, quae palpari poterant, loca magnopere mu tata. T. 39,2. P. 120.

Die 15. Febr. T. 38,4. P. 110. Aegrota nocte inquiete vel sine somno egit; tres defaecatione quarum priores duae diarrhoicae subfusci coloris tertia praeter parvam faecum quantitatem magna liquoris illius purulenti copiam cum paucis bullis exh bet. Magnus languor; in deglutiendis cibis imprimi salsis vehemens ardens in oesophago dolor. Abdo mine ex sinistra parte adversus tumoris margine qui per tenuia abdominis tegumenta apertissime ci cumscribi potest, presso magni dolores excitantu Epidermis prolapsus valde rugosa compluribus loc per squamas unius vel duorum grossorum magnit dine solvitur, neque tamen novae excoriationes ef ciuntur.

Magnitudo ejus ovum aequat anserinum. Pe cussione facta sonus quidam tympaniticus gravi simus, unde nunc pro ratione plus aëris inesse pr

bari videtur, quam prioribus diebus. Urinae perfecta incontinentia, vehemens sitis: Sub meridiem fere ½ quadrans liquoris illius saepius memorati foetidissime olentis cum paucis bullis. Post meridiem ca. horam secundam defaecatio copiosissima pultis instar mollissimae pauca albi liquoris quantitate admixta. Circumferentia prolapsus vespera 24 Cm. T. 39,0. P. 130. Magnus languor sine propria defatigatione. Morph. acet. gr. ¼ datum est.

Die 16. Febr. T. 38,8. P. 128. Infirmitas post somnum inquietum maxima. Lingua largissime Soor illo obducta, haustus magnopere impeditus, ita ut aegrota propter dolores inde ortos cibum capere recuset. Kali chlorici ʒj c. Sasch. alb. ʒiij Defaecatio noctu non facta; prolapsus intentior quam praecedente die, 32 Cm. est; tumor in abdomine mutationem non praebet. Ex vagina effluit tenuis liquor sulalbus urinose olens minoris quantitatis. Per tempus postmeridianum tres defaecationes liquoris multi faecibus liberi fluidi per anum paucissimis molibus carptim divulsis mixtae. Vespera T. 40,0. P. 130. Morph. hydrochl. gr. ¼.

Die 17. Febr. Status generalis bonus; aegrota 6—7 horas dormivit. T. 38,6. P. 108. In deglutiendis cibis dolor multo minor quam heri, appetitus bonus. Per somnum paullatim magnam tenuis liquoris quantitatem, in quibus nonnullas bullas et urinam sub se emisit. Abdomen tympanitice inflatum et paullisper pressum magnos exhibet dolores, in regione ileo - coecali manibus palpantes sentimus

parvum mobilem tumorem, parvae foetus par ut in gravida simillimam. Prolapsus intentiss mus 35 Cm. est et percussione facta gravissimu sonus tympaniticus exoritur, strepitus autem ill non jam animadvertendus est, tumore prorsus aër impleto. A mane hora nona usque ad quintam pos meridianam saepius defaecatio liquoris purulen subalbi cum nonnullis bullis bene servatis facta es Vespera T. 39,0. P. 110. Inter horam 8—11 defaeca tio larga pultis instar normaliter colorata ter repe tita est, quare Tinct. Opii simpl. gtt. x. doses ij sunt data

Die 18. Febr. T. 38,0. P. 92. Aegrota male do mivit, perpetuo urinam sub se emisit; in sinistra part abdominis vel pressi vel situ mutato moti magno dolores habet. Per diem quinquies defaecatio liqu ris illius saepius commemorati paucis faecibus inte mixtis. Appetitus optimus, sitis parva.

Soor non jam erat etiamque in deglutiendo d lores nulli exstiterunt. —

Ardens dolor in excoriato loco prolapsus: U guent. argenti nitr. applic. Ad vesperum denuo b satis magna quantitas liquoris, cui faeces non era admixtae, per anum secreta est. T. 38,8. P. 11

Die 19. F. T. 38,3. P. 120. Valetudo bon Noctu semel defaecatio fulvae lutulentae pulti s milis quantitatis facta est. Quum denuo lingu Soore illo obducta appareat, praescriptum est it rum Kali chlor. — In abdomine sonus tympanitic animadvertendus et dolor valde auctus erat. Ma quater faeces diarrhoicae ejectae sunt: ℞ Na

carb. acid. ʒij. Aq. dest. ℥v Tinct. Opii simpl. ʒj. — Per diem saepius levia deliria existunt; aegrota collabitur, ita ut oculis cerni possit. Appetitus bonus, prolapsus mutationem non praebet. Vespera nulla res magnopere mutata est. T. 39,2. P. 124. Morph. hydrochl. gr. $\frac{1}{4}$.

Die 20. F. T. 38,7, P. 132. Aegrota nonnullas horas quiete dormivit; appetitus aegre auctus. Inflatio tympanitica abdominis major et quam minime pressum vehementes dolores excitat, prolapsus magis intentus palpantibus ut solida gummipila apparet. Post meridiem bis defaecatio liquoris purulenti, cui nonnullae bullae additae sunt per anum facta est. Urina partim in matellam partim sponte in lectum effluxit. T. 39,5. P. 130. Morph. hydro. gr. $\frac{1}{4}$.

Die 21. F. T. 38,4. P. 120. Status generalis bonus. Per noctem cum dolore ardente copiosa multitudo mollis foetentis liquoris cum paucis molibus faecalibus conjuncti sponte abiit, quem aegrota, quantopere studebat nullo modo retinere poterat. Abdomen usque ad umbilicum valde tympanitice inflatum et praecipue adversus tumoris marginem quatuor digitos supra symphysin maxime dolet. Tumor in abdomine percussione facta prorsus fractum sonum praebet. Humida calida cataplasmata applicata sunt. Per horas antemeridianas quum quatuor diarrhoicae defaecationes essent factae, iterum praescriptum est: Tinct. Opii simpl. c. Natr. bicarb. Appetitus bonus. Vesperi T. 39,4. P. 136.

Die 22. Febr. T. 39,5. P. 120. Valetudo mal. Queritur aegrota praeter maximum languorem do lores in deglutiendo, lingua Score libera. In somn rursus urina et liquor purulentus faecibus non in termixtis per anum abierunt. Abdominis tympanite et prolapsus soliditas per noctem ita auctae sun ut oculis cognosci possit; abdomen paulum dole Post meridiem bis sponte facta est defaecatio co piosissima pultis instar, eodem modo liquoris spont per anum abierunt. Vespera status generalis pes simus; aegrota ab hora 5 usque ad 7 perpetu frigoris horrore se tentatam esse dicit. Circa ho ram septimam vehementissima sudoris secretio ex stitit et usque ad mediam noctem duravit, per qua levia deliria, nulla recordandi facultas et apath maxima. T. 39,8. P. 130.

Die 23. F. T. 38,7. P. 124. Aegrota nonnulla horas dormivit et satis bene valet. In deglutiend quamquam Kali chloric. continenter porrigebatu tamen vehementes dolores queritur. Prolapsus mu tationes non cognoscendae. Per noctem defaecat solidioris purulenti liquoris per anum saepius spon repetita est, cui bullae tamen desunt. Ceteru ejus foetidissimus ille odor idem est atque qui molibus faecalibus ante octo dies ejectis anima vertendus erat.

Mane hora 12 punctio explorativa: Acui tria gulari explorativo invadenti paries digitum fere cras magnopere resistit. Per cannulam magna gasis qua titas singulari quodam hydrogenii sulphurati odo

praedita evadit, quam, pressione facta, parva subcrassi purulenti liquoris copia sequitur. Tumor nunc fere ad dimidium circumferentiae reductus est et pressione in eum adhibita duae vel tres unciae purulenti liquoris odore, specie, consistentia illi per anum evacuato prorsus paris e vagina effluxerunt. Cannula remota quoad liquore purulento tacta erat, nigratam se praebuit (argentum sulphuratum). — Per tempus postmeridianum bis copiosissima durae pultis similis defaecatio et parvae puris quantitatis.

Vespera nullae mutationes animadvertendae. T. 39,2. P. 130. Morph. hydrochl. gr. $\frac{1}{2}$.

Die 24. F. Quamquam morphii gr. $\frac{1}{2}$ praebitum erat, aegrota tamen vix 4 horas dormivit; status generalis satis bonus. Urinam per noctem perpetuo emisit, itaque in sauciis prolapsus locis leniter usta est. Ceterum neque prolapsus neque abdomen mutatum erat. T. 38,7. P. 108. Per matutinum tempus parvae quantitates crassi purulenti liquoris per anum evacuatae sunt et post meridiem larga crassae pultis instar defaecatio subfusci coloris multis et lacteis et gelatine perlucentibus pannis intermixtis facta est; appetitus bonus, sitis vehementissima. Aegrota perpetuo frigoris horrorem ex anaemia maxima ortum conqueritur; in urina albumen non adest. — Aegrota post meridiem tres horas somnum cepit, inter quem et urina et purulentus liquor sponte per anum effluxerunt. Vesperi T. 39,7. P. 124. Nil magnopere mutatum. Morph. hydrochl. gr. $\frac{1}{2}$.

Die 25. Febr. T. 39,2. P. 120. Aegrota po
quietam noctem, in qua inter somnum perpetuo ur
nam sub se emittebat, ita ut expergefacta mad
factam se jacere inveniret, satis bene sese habui
deglutiens autem queritur dolorem, deinde ardore
in locis prolapsus excoriatis et parva pressione ex
hibita dolorem in satis circumscripto loco sinistra
partis abdominis, quod multo majus tympanitic
inflatum est. Eodem modo prolapsus intentior es
et queritur aegrota quod saepius opus quidem sil
sit, flatus emittere, sed re vera emittere non possi
et molestum volutationis strepitum in abdomine
prolapsu sentiat. — Per injectionem valde dolente
larga foetide olentis liquoris multitudo ex vagin
ejecta est. Vespera bis defaecatio magnae multitu
dinis purulenti liquoris, cui paucae moles faecale
additae erant, facta est. T. 39,8. P. 124. Morp
hydro. gr. $\frac{1}{2}$.

Die 26. Febr. T. 38,7. P. 110. Post somuum r
creantem status generalis bonus, magna autem c
pia urinae purulento (ex ano ejecto) liquore inte
mixto inter eum in lectum emissa est. Per diem
appetitus et sitis exigua. Vespera T. 39,8. P. 12
Aegrota in prolapsu et abdomine vehementes d
lores queritur: lotio sedentaria et postea. Morp
hydr. gr. $\frac{1}{2}$.

Die 27. Febr. T. 38,2. P. 94. Aegrota optimu
somnum cepit et per eundem paucum evacuav
queritur mane acerbissimum dolorem extentissi
prolapsus. Praescribitur Spec. laxant. St. Ge

main. Deglutitio non jam impedita est et Soor ex ore discessit. Per diem saepius exigua, bis largissima defaecatio tenuis fulve coloratae quantitatis, inter quam purulentus liquor, facta est. Vespera T. 39,5. P. 120. Lotio sedentaria. —

Die 28. Febr. T. 38,2. P. 100. Aegrota nonnullas horas dormivit, per totam noctem vehementissime sudavit, repetitus minores copias subfusce coloratarum molium faecalium ejecit. Per diem duae pulti similes mollissimae defaecationes, saepius satis magna purulenti liquoris copia, perpetuo urina in lectum abierunt. Neque abdomen neque prolapsus mutationes quae cerni vel palpando sentiri possint, exhibet, nec vero jam dolores queritur. Vespera T. 39,7. P. 115. Lotio sedentaria et Morph. hydr. gr. $\frac{1}{4}$.

Die 29. Febr. Aegrota, quae bene dormivit, bene sese habet. In somno largissima copia subfuscarum tenuium pulti similium faecum in lectum et urinapartim in lectum partim in matellam evacuata est. Dolor abdominis pressi exiguus est et tympanities paene evanuit, prolapsus minus intentus et dolens prorsus comprimi potest, ita ut facile doloribus nequaquam excitatis parietes alter in alterum teri itaque sentiri possit eos circiter digitum esse crassos. Strepitus liquoris et aëris optime animadvertendus est. Vespera T. 39,0. P. 120. Lot. sedent.

Die 1. Mart. T. 37,8. P. 92. Somnus optimus. Aegrota multo firmiore valetudine utitur quam pridie et hodie primum ab aliis non adjuta nec magnis doloribus cruciata ab uno in alterum latus ponere

se potest. Si mingendi cupiditas ei est, urinam vix unam minutam retinere potest et hoc tempore praeterito sponte simulque exiguam quantitatem liquoris per anum emittit. Ceterum nullae mutationes apparent. Appetitus bonus. Vesperi T. 39,2. P. 110. Lotio sedentaria.

Die 2. M. T. 38,0. P. 108. Somnus malus. Bis urina in matellam ejecta simulque per anum magna copia subalbi crassi purulenti liquoris exanita est; inter quem complura subalba cohaerentia fragmenta (partes bullae maternae Echinococcorum?) magnitudinem nucis avellanae aequantia, quae conspissatum pus se praebebant. Neque abdomen neque prolapsus mutationes exhibuit. Per diem saepius urina in matellam emissa et purulentus liquor sponte per anum secretus est. Vespero T. 39,4. P. 120. Sero vespero pultis similis defaecatio ingentis quantitatis facta est.

Die 3. M. Status generalis, cum aegrota 8 horas recreantem somnum cepisset, optimus. T. 38,2. P. 100. Urinam non sub se emisit, sed bis in matellam petitam et urinam et moles faecales cum largo liquore evacuavit. Lingua et labia oris multo Soor obducta sunt. Appetitus maximus. Post meridiem diligens inquisitio per vaginam et per anum in chloroformii narcosin.

„Prolapsus facile comprimi potuit et ovi anserini magnitudine erat; percussione facta plenum sonum tympaniticum dedit et in locis excoriatis luxuriantes granulationes praebuit. Qui quum in imum

et aversum verteretur, ex vagina magna copia glaucae crassae liquidae molis puri similis foetidissime olentis exarcuata est. Digito inserto sentimus circiter $\frac{5}{4}''$ altum defectum urethrae, quo impeditum est, quominus catheter in vesicam urinariam inducatur. Neque effici potuit, ut ille digiti opera in vaginam inducti in aperturam ejus urethrae partis, quae cum vesica conjucta est, recte dirigeretur. Digito profundius inducto in ramo sinistri descendente ossis pubis locus periosteo nudatus asper circiter $\frac{1}{2}''$ longus et $\frac{1}{4}''$ latus animadvertitur. Profundissime digito ingresso paullo ad dextrum orificium uteri attingitur externum, quod apertum fácile permeabile est. Inde eadem altitudine ad laevam radiata cicatrix est, in qua media animadvertitur apertura, per quam catheter elasticus mediocriter crassus facile induci potest. Qui postquam complures digitos introiit, per eum satis magna copia tenuis liquidae sordidae purulentae foetidissime olentis molis exportatur. — Causa propter quam tumor in vaginam perforatus est, sine dubio gangraena est quae a prolapsu in profundum eminet, et, vagina adversus symphysin compressa, provocata est; eodem modo fistula in urethra et necrosis in sinistro ossium pubis ramo descendente orta est. — Exploratione per anum facta in anteriore recti parte valde intentus elasticus tumor percipitur, tamen ita, ut quoad digito sentiri potest, perforationis apertura non inveniatur. Atque altero digito in vaginam altero in rectum inducto, inter eos in-

tentus ille elasticus tumor sentitur, qui 1″ — $1\frac{1}{2}$″ crassus esse videtur. Catheter ille, qui per supra memoratam aperturam in vaginae fornice ad laevam a portione vaginali uteri inductus est, e recto non percipi potest. Digito ex ano remoto magna copia tenuis purulenti liquoris effluit, qui illi e vaginae apertura per catheterem evacuato consistentia specie odore prorsus parest. — Injectiones in vaginam; Kali chlor. datum. — Vesperi status generalis bonus, quadrantis dimidium purulenti liquoris per anum emittitur. Dolores non adsunt neque in vagina neque in abdomine seu prolapsu. T. 39,6 P. 124. Lotio sedentaria. Morph. gr. $\frac{1}{4}$.

Die 4. M. Valetudo bona. T. 39,0 P. 110. Inter somnum per 7 horas recreantem urinae magna copia sponte effluxit, tamen mutationem neque abdomen neque prolapsus exhibuit. Appetitus optimus. Eodem modo per diem urina sponte abiit et saepius satis magna liquoris illius quantitas per anum secreta et semel largissima defaecatio facta est. Vesperi T. 39,2. P. 116.

Die 5. M. T. 37,8. P. 96. Status generalis optimus. Aegrota mane expergefacta post somnum complurium horarum prorsus madefactam se invenit, cum magna copia et urinae, et purulenti illius liquoris saepius memorati sponte per anum abierit. Mutationes nullo modo animadvertendae. Appetitus optimus. V. T. 39,0. P. 108. Lotio sedentaria.

Die 6. M. T. 38,0. P. 92. Aegrota per totam

fere noctem dormivit neqne urina neque molibus purulentis emissis. Eodem modo inter urinam et faeces in matellam evacuatas pus non est. Neque in abdomine neque in prolapsu mutatio. Vesperi T. 39,2. P. 110.

Die 7. M. T. 38,0. P. 96. Abdomen normaliter fere intentum est et tumor ille durus parvus supra memoratus ad dextram non jam percipi potest. Dolor in parvo tantum circumscripto loco pressione in profundum facta. Ceterum aegrota multo melius sese habet: aspectus optimus. Urina et faeces saepius in matellam postulatam ejecta. In abdomine non satis clare margo tumoris elactisi, cujus concavum latus superne versum est, tres fere digitos supra symphysim et inde in utramque partem aliquid ascendens, manu palpari potest. Qui tumor parvum est residuum magni illius in abdomine tumoris, cujus latus convexum semicirculare fere usque ad umbilicum pertinebat. Vesp. T. 39,0. P. 130.

Die 8. M. T. 38,4. P. 92. Valetudo bona. Per diem semel defaecatio normalis facta et subinde pus secretum est. Vesp. T. 39,7. P. 120.

Die 9. M. T. 38,0. P. 92. Os denuo Soor obductum, in deglutiendo vehemens dolor. Faeces multae purulento liquore mixtae. Vesp. T. 39,4. P. 124. Kali chlor.

Die 10. M. T. 38,0. P. 88. Aegrota priore nocte bene dormivit sed vehementissime sudavit, ita ut lintea mutari deberent. Tales sudores ex octo die-

bus sed minus profuse quaque nocte repetiti erant. Vesp. T. 39,5. P. 110. Soor percipi non potest.

Die 11. M. T. 38,2. P. 108. V. T. 38,8. P. 110.

Die 12. M. T. 38,3. P. 120. Aegrota strepitum dolentem in abdomine et prolapsu queritur. Mutatio palpabilis non adest. Urina sicut pridie in matellam emittitur. V. T. 39,4. P. 115.

Die 13. M. T. 38,3. P. 84 Status generalis bonus. Soor denuo in ore erupit. V. T. 39,4. P. 120.

Die 14. M. T. 38,2. P. 84. Tumor in abdomine adhuc eadem forma atque magnitudine est. V. T. 39,2. P. 120.

Die 15. M. T. 38,2. P. 96. Mulier tam robusta est, ut non adjuta e lecto surgere sibique ipsa vestes induere possit. Unam fere horam vigilat, deinde autem debilissima complures horas dormit. Post meridiem magna copia molium diarrhoicarum cum compluribus sanguinis coagulis, quae nucis magnitudine cum puris sarcinis cohaerent, ejecta est in matellam. Vesp. T. 39,0. P. 100. Vehemens dolor in dextra parte proxime infra parvum illum durum tumorem.

Die 16. M. T. 38,2. P. 96. Moles faecales, pus cum sanguinis coagulis sicut pridie ejecta. Valetudo bona. V. T. 39,0. P. 110.

Die 17. M. T. 38,0. P. 90. Status generalis bonus. Nulla re mutatio animadvertenda nisi repetita puris secretio nullis faecibus intermixta. V. T. 38,5. P. 92.

Die 18. M. T. 37,6. P. 84. Somnus optimus. Valetudo bona. Prolapsus multo minor et solidior

actus satis vacuus esse videtur, ita ut parietes ıypertrophici inter se contingant. Per diem crero crassum et foetidissime olens pus parvulis molilus faecalibus intermixtis evacuatum est. Aegrota uamquam 3 horas extra lectum fuit, tamen nequauam fatigata est. Vesp. T. 37,8. P. 82.

Die 19. M. T. 37,6. P. 82. Valetudo optima. Deaecatio normalis. Appetitus bonus. Vesp. T. 38,0. P. 88.

Die 20. M. T. 37,8 P. 84. Res item se habet ut ridie, attamen abdomen prorsus non intentum sed bdominis tegumenta plane laxata sunt, ita ut parum illum durum tumorem ut in liquore mobilem evem inferne et postera parte adhaerentem ovi allinacei magnitudine plane fere amplecti possimus. n inferiore tantum ejus margine majore pressione dhibita dolor excitatur. Deinde etiam juxta hunc umorem alter minor nucis avellanae magnitudine nobilissimus tres fere digitos infra umbilicum invenitur, qui tamen saepius pressus non amplius seniri potest. Appetitus bonus, defaecatio normalis. Vesp. T. 38,2. P. 92.

Die 21. M. T. 37,6. P. 84. Exploratione per vaginam, post chloroformii narcosin facta apparet lefectus urethrae minimum 1″ longus. Percipitur n postoriore vaginae pariete adhuc intentum elasicum tumorem esse, locum illum necrosi affectum n ossis pubis ramo jam non inveniri posse sed bi telam cicatricosam profusam sese formasse; portio vaginalis uteri dextrorsum versa vix attingi potest. Catheter per urethram induci non potuit,

quamquam ejus apertura, quam collo vesicae urinariae maxime propinquam esse constabat, accurate sentiebatur. — Ferrum candens prolapsui applicatum est, ut contractione cicatricosa minueretur. Ac primum quidem cataplasmata frigida deinde tepida imposita sunt. Vesp. T. 38,2. P. 88.

Die 22. M. T. 37,8. P. 90. Valetudo bona. Ex operatione nihil ortum est. Semper adhuc satis larga copia crassi liquidi puris et in defaecatione et praeterea ejicitur. Vesp. T. 38,0. P. 90.

Die 23. M. T. 37,5. P. 84. Status generalis optimus.

Abhinc et temperatura normalis et valetudo bona erat, neque abdomen nec prolapsus (magnitudine ovi gallinacei), magnas mutationes exhibet. Status etiam idem manebat, cum die 26. M., atque iterum die 4. Apr. rursus et fortissime quidem ferrum candens adhibitum est.

Itaque usque ad hodiernum diem aegrota in dies magis magisque convaluit, attamen menses, quamquam optima valetudine femina turgescit, ex quo tempore in hoc nosocomium recepta est, undecim igitur fere hebdomadibus, nondum rursus exstiterunt.

Epicrisis:

Ad diagnosin hujus morbi, quum tumore illo moto uterus etiam manifesto moveretur, duos illos inter se cohaerere statuendum est. Atque maxime verisimile erat, quia tumor duritia satis magna et superficie, ut videbatur, gibbera esset, in utero

sse fibroma, quod, quum priori tempore hae-
iorrhagiae prorsus non exstiterint, infra perito-
aeum situm cum tunica uteri mucosa nullo modo
onjunctum esse putandum erat. Ex novem fere
emum mensibus priusquam aegrota in nosoco-
ium recepta est, (ex hoc enim tempore secretiones
ienstruales solito longius profluebant), mutatio hoc
iodo orta esse potuit, ut nunc fibroma sub tunica
iucosa crescens hanc mutaverit. Deinde quum
iagna ichoris copia e vagina efflueret, existiman-
um erat, fibroma illud sepsi affectum esse et fieri
otuisse, ut partes ejus expellerentur. Eoque magis
aec sententia recta esse videbatur, quod, quem in-
a cavum abdominis repereramus, idem tumor ex
agina accuratissime cum utero cohaerens animad-
erti potuit. Qua de causa etiam prolapsus ille
osterioris vaginae parietis, quippe quum tumor ille
iperiorem pelvis partem expleret (ut praetermittam,
uod vaginae paries prolapsu jam diu exorto valde
rat hypertrophicus) reponi non potuit.

Postea, quum morbo porro decurrente rectum
erforatum esset, diagnosin illam falsam esse certe
st intellectum, Echinococcorum saccum, qui intra
avum peritonaei habitabat, inflammatione saepius
icta et exsudatione quae ex illo orta erat, et cum
liis circumjacentibus organis et praecipue cum utero
rctissime coaluisse existimandum erat. Unde etiam
ictum esse videtur, ut uterus, quamquam vagina
iagnopere erat prolapsa, tamen non descenderet.

Incarcerationis autem symptomata, quae die XX.

post aegrotam receptam exorta sunt, quia nunc etia[m] fibroma morbi causam esse putaretur, inde quo[d] illud in pelvem dejectum esset, explicavimus. It[a]que quum prolapsus non reponendus esset, so[la] evacuatione vesicae urinariae et recti incarceratio[nem] quam maxime innocentem reddere conati sumu[s].

Perforatio secundum symptomata ex loco, q[ui] dicitur Douglasii, in rectum facta esse videtur, et qu[i]dem ita, ut eodem tempore communicatio recti cu[m] tela cellulosa vaginam circumcludente procrearetu[r], unde altera parte ichor ex Echinococcorum sacc[o] in prolapsum vaginae, altera parte gasa ex rec[to] in excavationem impelli poterant. Odore spec[ie] consistentia quidem non dubium erat, quin idem li[]quor purulentus, qui ex recto secernebatur, etia[m] punctione prolapsus facta efflueret.

Luce clarius est, therapiam, si initio jam cer[te] compertum habuissemus, tumorem esse Echinococco[]rum saccum, prorsus aliam futuram fuisse, qua etia[m] sine ullo dubio esset vitatum, ne urethra laederetu[r]. Etenim ex recto punctio tumoris facienda fuisset, qu[o] sacco evacuato incarcerationis symptomata subla[ta] essent. Utrum autem hoc modo (ne dicam de fistu[la] urethrae) successus melior fuisset, non decerne[n]dum est; quin etiam fistula, quum urethra magn[o]pere tracta ac tenuata cathetere, priusquam puncti[o] fieri posset, saepius utendum esset, fortasse aequ[e] exstitisset.

Exploratione postremo suscepta etiam nunc i[n] dextro latere tumor est, qui, quum eandem atqu[e]

riorem naturam habeat, certe quoque Echin. saccus abendus est. Qui intra cavum abdominis facillime nobilis et ambitu parvo est, quare exspectari necesse est, utrum porro crescat, ad tempus vero ab mni impetu desisti.

Ad prolapsum conandum opus est, ambitum jus, quia propter ingentem hypertrophiam nullo nodo reponi potest, sic minuere, ut applicatione erri candentis ulcerationes cum sequentibus contractionibus cicatricosis afferantur. Fieri quidem potest, ut irritationibus saepius repetitis parietes prolapsus interni coalescant, ut deinde ligatura galvanocaustica tumor omnis removeatur. Quod priusquam fiat, ut accuratissima partium exploratio suscipiatur, opus esse per se intelligitur.

VITA.

Ernestus Henricus Lueddeckens, Walbeckensis, natus sum a. h. s. XXXVIII. die X. mensis Octobris, patre Carolo, matre Sophia e gente Briel, quos adhuc superstites pio animo veneror. Fidem profiteor evangelicam. Primis literarum elementis imbutus gymnasium Halberstadiense petivi et per annos tres et dimidium frequentavi. Unde maturitatis testimonio instructus a. h. s. LX. hanc almam academiam Gryphiswaldensem petivi, ubi a Rectore Magnifico de Feilitzsch civibus academicis adscriptus apud gratiosi medicorum ordinis decanum Ill. Bardeleben nomen dedi. Deinde post annum unum et dimidium academiam Berolinensem petivi, unde item anno uno et dimidio praeteritis huc redii.

Per quadriennium audivi disserentes hos:

Gryphiae:

Ill. Muenter: de botanice, de zoologia; ejusdem frequentavi excursiones et seminarium.
Ill. Limpricht: de chemia anorganica, de chemia organica; idem dux mihi fuit in exercitationibus analyticis.
Ill. de Feilitzsch: de physice.
Ill. Hünefeld: de mineralogia.
Ill. Budge: de anatomia, de physiologia, de embryologia;

idem mihi in exercitationibus, cadavera rite dissecandi et microscopico-physiologicis dux fuit.

Ill. Schultze: de anatomia, de anatomia et physiologia comparativa.

Ill. Haeser: de encyclopaedia et methodologia medicinae, de pathologia et therapia generali.

Ill. Bardeleben: de chirurgicis abdominis morbis. Idem dux mihi fuit in operationibus chirurgicis in cadaveribus instituendis atque in clinico chirurgico et ophthalmiatrico.

Ill. Grohe: de anatomia pathologica; idem mihi dux fuit in exercitationibus pathologico-anatomicis.

Ill. Ruehle: de percussione et auscultatione. Idem mihi dux fuit in clinicis medicis.

Ill. Pernice: de morbis mulierum. Idem dux mihi fuit in clinico obstetricio.

Ill. Laurer: de materia medica, de arte fascias rite alligandi.

Exp. Haeckermann: de politia medica, de medicina forensi.

Exp. Heineke: de syphilide et exanthematibus.

Exp. Schirmer: de ophthalmiatrice; idem mihi dux fuit in exercitationibus ophthalmoscopicis.

Berolini:

Ill. Reichert dux mihi fuit in exercitationibus cadavera rite dissecandi.

Cel. Gurlt: de chirurgia generali et speciali.

Exp. Remack: de morbis systematis nervorum.

Exp. Ebert: de arte obstetricia; de morbis infantum.

Ill. Martin dux mihi fuit in clinico obstetricio et gynaecologico.

Cel. Henoch: de pathologia et therapia speciali.

Ill. Langenbeck: de akiurgia. Idem dux mihi fuit in clinico chirurgico.

Ill. Juengken dux mihi fuit in clinico chirurgico.
Cel. de Baerensprung: de syphilide.

Quibus omnibus viris optime de me meritis quam maximas ago gratias semperque habebo. Plurimum autem debeo Ill. Pernice, cujus benevolentia munus medici auxiliarii in instituto obstetricio accepi.

THESES.

I.

Echinococci altriciparientis species in omnibus corporis organis habitare potest.

II.

Echinococci cum in aliis organis tum in pelve certe dignosci non possunt.

III.

Evacuatio una Echinococcorum therapia.